



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm**

**Capilla, Andrés de**

**Coloniae, 1607**

De Humilitate. Exercit. 71.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)



tum corporalibus tum spiritualibus, singulorum medeatur: desiderando salutem & bonum omnium; ne abiectissimo quidem & miserrimo qui in mūdo sit, excepto; condonādo etiam illis omnem offensam sit quapiam in re nos offenderunt; Veniam denique postulabimus à Deo, si nos illum aliqua in re offendimus aut scandalizauimus, cum firmo proposito, ei, quomodo necessarium fuerit satisfaciendi.

*Oblatio.*

Offeremus nos Deo, ad agenda quęcunque possumus in proximorum necessitatibus subleuandis: desiderando cunctis subuenire: atque etiam si necessarium foret, vitam pro eorum salute profundere, quemadmodum Christus pro nobis eam expendit.

## DE HUMILITATE.

Exercit. 71.

1. Petr. 2. Humiliamini sub potenti manu Dei.



*Matt. 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde.*

*Matth. 13. Qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.*

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus quantum placeat Deo hæc virtus, cum specialius huius virtutis magister & verbo & exemplo esse voluerit. Præterea quam bene conueniat homini hæc virtus, cum nihil sit nisi puluis & cinis, & si penitus inspicere voluerimus nihil, præterquam nihilum & abyssus quædam imperfectionum & peccatorum.

*Gratiarum actio.*

**G**ratias agemus Domino pro admirabili exemplo humilitatis, quod in passione sua nobis prætulit, quando ipse qui erat ipsa innocentia veluti reus ad mortem condemnatus: & qui erat gloria sanctorum Barrabæ latroni postpositus; & qui omni honore dignus erat, ignominiosissima morte sublatus fuit.

*Con.*



*Confusio.*

**P**Vdore suffundemur, considerando stultam superbiam nostram, quod, cum vndique circumdati sumus multis causis quæ nos ad profundissimam nostri humiliationem & vsque ad abyssum depressionem promouere deberent, nihilominus superbiamus, adeoque Deo & hominibus abominabiles sumus. Quia vt sapiens ait. Odibilis Deo & hominibus superbia.

*Petitio.*

**R**Ogabimus Deum, vt veram nobis charitatem largiatur, vt nosmetipsos, qui sumus, agnoscentes, coram ipsius maiestate demisso animo incedamus.

*Oblatio.*

**O**fferemus nos ad omnem mundi contemptum & abiectiõem, atque agnoscemus eam nobis iusto iure debere, nec vllum esse locum, in illum quidem, quem Lucifer in inferno habet qui nostræ humilitati, non sit minus altus.

DE